Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321614747-13

MARIENBIBLIOTHEK
HALLE A/S.
Kem 86
(1-54; a-g)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321614747-13

(7)

CONSPECTVS LABORVM

QVIBVS

PROFESSORES

ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI cIↄIↄCCXXXXIII.

OCCVPABVNTVR

PRO-RECTORE

MARTINO SCHMEIZELIO,

SACRAE REGIAE MAIESTATI BORVSSICAE A CONSILIIS AVLICIS IVRIS PVBLICI ET HISTORIARVM PROFESSORE ORDINARIO.

Halæ Magdeburgicæ, literis HENDELIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321614747-13

Lectiones Pro-Rectoris, Directoris & Pro-Cancellarii.

MARTINVS SCHMEIZEL h. t. PRORECTOR, *publicas in Hiſtoriam Vniuerſalem* lectiones ſedulo continuabit; *priuatim* h. IX. *Hiſtoriam Iuris Ciuilis, Canonici & Proteſtantium Eccleſiaſtici;* h. III. V. C. MASCOVII *Iuris Publ. Principia* illuſtrabit; h. IV. Librum ſuum: *die Klugheit zu leben, auf Vniuerſitæten, zu Hauſe, und auf Reiſen*, regulis & exemplis clariorem reddet; Diebus Veneris & Saturni h. I. *Heraldicæ* præcepta tradet.

IVSTVS HENNINGIVS BOEHMER, IC. hora IX. *Inſtitutiones iuris canonici*, a ſe editas: hora X. vero iuncta II. pomerid. *partem alteram Digeſtorum* interpretabitur, publicis ſcholis denique hora III. *ius cambiale* ductu B. Dn. LVDOVICI tradet, cognitum habens, quantum eorum, qui ſtudio iuris incumbunt, interſit, huius argumenti penitiores & intimas rationes cognitas habere, in quem campum tamen in vſitatis ſcholis iuridicis raro excurritur.

CHRISTIANVS WOLFIVS, Hor. XI. antem. & Hor. III. pomer. commentabitur in opus præclarum *Grotii de Iure Belli & Pacis*, vniuerſam Iuris Naturæ ac Gentium doctrinam ex genuinis principiis demonſtraturus & omni Iuri lucem pleniſſimam affuſurus. Hor. IV. pomer. *Metaphyſicam* explicabit, genuina omnis ſcientiæ humanæ fundamenta poſiturus. Si qui in aliis præterea operam eius deſiderent, eorum deſiderio pro virili ſatisfaciet.

LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IOACHIMVS Lange publice hora conſueta X. lectiones *dogmaticas* continuabit, priuatim vero hora II. lectiones *exegeticas* in ſelecta & difficiliora Pentateuchi loca, ſecundum fontem Hebræum habebit; nec intermittet lectiones *aſceticas*, die dominica poſt ſacra publica habendas.

GOTTHILF AVGVSTVS FRANCKIVS, prælectionibus catecheticis in B. SPENERI expoſitionem doctrinæ Chriſtianæ, quas infirmior valetudo aliquamdiu interrupit, ad finem perductis, epiſtolam Pauli ad Epheſios interpretabitur. Præterea lectiones parænetìcas & aſceticam tractationem epiſtolæ poſterioris ad Corinthios continuabit.

CHRISTIAN. BENEDICT. MICHAELIS *publice* hora II. poſt abſolutum Ieremiam, in quo adhuc hæret, Salomonis Prouerbia exponet: *priuatim* vero hora IX. Epiſtolam ad Ebræos, vna cum ſubſequentibus Epiſtolis Catholicis, & Apocalypſi Ioannea, ſcholiis ad intelligendum litteralem illarum ſenſum neceſſariis vtilibusque illuſtrabit.

SIGM. IAC. BAVMGARTEN h. VIII. *theol. dogmaticam* redordietur; h. XI. *hiſtoriam chriſtianam* enarrare perget; h. IIII. diebus lunæ & martis præcepta *hermeneutica* iisque finitis *homiletica* proponet, diebus iou. & ven. *epiſtolas ad Philipp.* atque *Iacobi* interpretabitur; h. VI. *theol. moralem* tractabit: diebus ſolis h. IIII. interpretationem aſceticam *actorum* continuabit atque diebus ſaturni h. II. *diſputationes dogmaticas* cum noua dogmatum tractatione inſtaurabit.

D. BENED. GOTTLOB CLAVSWITZ *Publice* H. III. *Theologiam fœderalem* ita quidem exponet, vt diuerſæ in primis periodi œconomia Dei in V. T. vna *cum typis* euoluantur. *Priuatim* H. IX. *Epiſt. ad Roman.* tractatione exegetica & practica explanabit. H. V. *collegium fundamentale dogmaticum*, ſemeſtri ſpatio in gratiam accedentium & diſcedentium abſoluendum, ad ductum Epitomes Oeconom. Ven. D. LANGII præmiſſæ præleget. *Diebus Mercurii* H. I. in *exercitio diſput.* perget. *Diſputationes* etiam *publicas de fide in Ieſ. Chriſt.* continuabit.

IO. HENR. CALLENBERG *publica* ſchola, *hora* IX -- X. *poſteriorem Samuelis & Regum libros*, duce ſermone *hebraico* explicabit: adhæc, recenſitis hucusque propædeumatum theologiæ fatis, iam ipſius *Theologiæ* exponet *hiſtoriam;* perget quoque in communicandis *theologiæ antiiudaicæ* obſeruationibus.

IO. GEORG. KNAPP h. 11 -- 12. *difficiliores libros ex hagiographis* more ſolito explanabit, h. vero 5 -- 6. *hiſtoriam eccleſiaſticam V. T.* tractare conſtituit. Præterea duplicem *exercitationem diſputatoriam* videlicet d. Iouis, *biblicam* autem in poſteriorem ad Timotheum d. Veneris ſemeſtri æſtiuo propter valetudinis infirmitatem intermiſſam repetet.

IVRIDICAE.

SIMON. PETR. GASSER ICt. *publicas lectiones*, nondum determinatas, hac vice ſeparatim indicabit, *priuatim* hora X. & II. *pom.* denuo ad *Pandectas Ludouicianas* commentabitur, nec non *hora XI.* ad ſuas *Poſitiones practicas* in collegio *practico-elaboratorio*, *hora III.* pom. vero collegium *oeconomico-camerale* denuo incipiet, omnium initium erit *finitis nundinis Lipſienſibus.*

IAC. GABR. WOLF *publicas* ad *inſtituta* prælectiones hora IV. pomeridiana ſedulo continuabit. *Priuatim* vero hora VIII. STRVVII iurisprudentiam Romano-*Germanicam forenſem*,

ſem, hora IX. *iurisprudentiam ſuam naturalem ac gentium*, *tum priuatam tum publicam*, regulas iuſti ac virtutis excellentioris, ſeruato etiam ſtatus naturalis ac ciuilis diſcrimine, diſtincte explicantem · præterea hora XI. V. C. IO. IAC. MASCOVII *principia iuris* publici I. R. G. denique hora III. *elementa* ſua *iuris feudorum*, *tum prouincialium*, *tum Imperialium*, omni fide atque induſtria interpretabitur. Finitis nundinis Lipſienſibus, *initium* A. S. N. facturus.

CAR. GOTTLIEB KNORRE interpretabitur HEINECCII *Elementa Iuris Naturæ & Gentium* Hora IX. EIVSDEM *Elementa Inſtitutionum* Hora XI. *Pandectas Ludouicianas* Hora X. & II. Accedet *Collegium Practicum elaboratorium* ad ductum der gründlichen Anleitung zum Gerichtlichen Proceß, ſimulque *Elementa artis relatoriæ* tradet.

IO. GERARDVS SCHLITTE hoc ſemeſtri hyberno, ſcholas aperiet ad *Inſtitutiones Iuſtinianeas*, STRVVII *Iurisprudent. R. G. forenſem*, & B. LVDOVICI *Doctrinam Pandectarum*. Neque illis qui Collegium in LVDOVICI *Introductionem ad Proceſſ. Cambialem*, perquam multis acceſſionibus a ſe locupletatam, expetiuere, deerit, ſi his, qui nomina ſua iam tum profeſſi, adhuc nonnullis ſeſe adiunxerint.

IO. SAMVEL FRIDERICVS BOEHMER per inſtans ſemeſtre hybernum ea, qua ſolet, fide ac induſtria explicabit hora VIII. *Elementa ſuæ iurisprudentiæ criminalis*, hora IX. B. HEINECCII *Compendium iuris Naturæ*, hora X. iuncta IIda Dn. PARENTIS *Pandectas*, hora XI. B. HEINECCII *Elementa Inſtitutionum*, notatis ſedulo differentiis iuris *Germanici* & *Romani*, hora III. STRVVII *inſtitutiones iuris feudalis*, nec iis defuturus qui collegium examinatorium ad Pandectas efflagitarunt.

IOH. EHRENFRIED ZSCHACKWITZ, Prof. Iur. Ordin. Hor. 9. Hiſtoriam *Imperialem*, duce Compendio *Struuiano*, ex Actis & Documentis publicis plenarie dilucidabit, & quibus Dnn. Commilitonum hæc Hora minus commoda, eos Hor. XI. expectat, Hor. X. SECKENDORFII Fürſten-Staat declaratur, quibus Curis *Ius Feudale* adhibetur. Hor. XI, *Hiſtoria Imperialis*, vt antea prolatum. Hor. I. pom. ex LVDOVICI Introductione *Ius Militare* apparet, adiungitur & *Politica Militaris*. Hor. 3. prælucente MASCOVIO *Ius* noſtri Imperii *Publicum*, etiam ex ipſa Hiſtoria & Actis publicis dilucidatur, additur cumprimis Explicatio *Pacis Weſtphalicæ*, Hor. 4. prælucente PVFENDORFII *Introductione Hiſtoria Vniuerſalis* omnium Regnorum & quae defloruere, & adhuc florent, exhibetur, quibus Curis Hiſtoria Regnorum *Bohemiae*, *Hungariae*, *Sileſiae* & *ſtatuum Italiae* adiungitur, Hor. V. hiſtoriam *Nouiſſimam* a *Maximiliano I.* vsque ad praeſens luſtrum exhibetur, annectitur explicatio *Capitulationis moderni* Imperatoris. Initium harum curarum fiet finitis nundinis Lipſienſibus.

IO. TOBIAS CARRACH *priuatim* 1) continuabit *Ius Canonicum* hor. VIII. mat. 2) ad HEINECCII elementa tradet *Ius Naturæ & Gentium* ita vt vſum eius in iure poſitiuo monſtret hora IX. 3) *Differentias Iur. Rom. & Germ.* docebit ad EIVSDEM elementa Iuris Ciuilis ordine *Inſtitutionum* hor. XI. & 4) ad EIVSDEM elementa Iur. Ciu. ordine *Pandectarum* hor. X. iuncta II. pomerid. 5) Collegium *elaboratorium ad Proceſſum Ciuilem* habebit hor. III. pomerid. 6) *Ius Feudale* STRVVIO duce præleget hora IV. addet quoque 7) *proceſſuale* collegium *criminale elaboratorium*.

MEDICAE.

MICHAEL ALBERTI Publico ſtudio vlterius fortuitos tragicos affectus diuerſis aliis ſpeciebus explicabit: priuata applicatione Phyſiologiam, Pathologiam & Therapiam generalem continuabit: dein vero Materiam Medicam, variis vſibus reſpondentem, commendabit.

IO. IVNCKER *publice* continuabit chirurgiæ medicæ fundamenta. *Priuatim* hora decima phyſiologiam & pathologiam, vndecima autem therapiam generalem & ſpecialem docebit. *Priuatiſſime* vſitato more prouectiores in praxi medico-clinica exercebit.

D. IO. HENR. SCHVLZE publice explicabit aphoriſmos Hippocratis. Priuatim exponet de materia medica. Tractabit etiam pathologiam ſpecialem cum ſignorum doctrina & praxi morborum.

FRIDERICVS HOFFMANNVS publice ſingulis mercurii & ſaturni diebus hora XI. Hygieinem docebit, atque legitimum ſanitatem conſeruandi modum cum rerum ſex non naturalium vſu tradet. Priuatim hora IX. Phyſiologiam anatomicis & mechanicis principiis ſuperſtructam pertractare & huic innixam Pathologiam generalem hora X. ſubiungere conſtituit. Initium harum lectionum erit finitis inſtantibus nundinis Lipſienſibus.

D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER de morbis infantum aget *publice*. *Priuatim* horis antimeridianis *praeparationes* incipiet *anatomicas* & *priuatiſſime* prouectiores ad *anatomiam practicam* manuducet. Hora III. vero *oſteologiam* iunctis *demonſtrationibus anatomicis duce* HEISTERO explicabit, & hora IV. *anatomiam phyſiologico-pathologicam* docebit.

PHILO-

PHILOSOPHICAE.

CHRISTIAN. BENEDICT. MICHAELIS, ad altius prouehendum Orientalium linguarum ſtudia, ERPENII Rudimenta linguæ Arabicæ, & adiectum eis a Cl. SCHVLTENSIO Florilegium ſententiarum Arabicarum, hora XI. aut ſi qua alia commodior fuerit, illuſtrabit. Curabit inſuper hora III. Epiſtolas Paulinas, ab illis ad Corinthios vsque ad illam ad Philemonem; hora vero V. libros Moſaicos, lectionibus curſorio philologicis in auditorio ſuo domeſtico illuſtrari.

MICHAEL ALBERTI, Doctrinam de Meteoris publica tractatione ſuſcipiet. Inſtitutiones etiam artis diſputatoriæ, vacante tempore, tradet.

IO. IOACHIMVS LANGE, Math. P. P. O. publice h. 4. *Matheſin puram*, h. e. *Matheſin vniuerſalem*, *Arithmeticam*, *Geometriam* & *Trigonometriam* demonſtrabit. Priuatim vero *Matheſin applicatam*, h. e. ſingulari diſciplinas *Mechanicas*, *Opticas*, *Aſtronomicas*, cum *Architectura ciuili & militari* h. 2. explicabit. *Algebram* h. 5. enucleabit. *Phyſicam dogmatico experimentalem* h. 1. ita docebit, vt nexus dogmatum ſyſtematicus perpetuis experimentis confirmatus pateat. *Hiſtoriæ naturali ſpecialiſſimæ* trium naturæ regnorum, ad ductum Linnæani ſyſtematis & proprii apparatus explicandæ deſtinatæ ſunt die ſaturni horæ 1. & 2.

D. IO. HENR. SCHVLZE publice perget in SVETONIO illuſtrando. Priuatim antiquitates Romanas, ad ductum cl. Nieuportii, explicabit.

DANIEL STRÆHLER 1) *Logicam* ſuam iterum illuſtrabit; 2) *Metaphyſicam* exponet; 3) *Ethicam* cum *Iure Naturæ* coniunctam tradet; Ex Matheſi pura *Arithmeticam* & *Geometriam* ſcientifice pertractabit.

D. FRIDERICVS WIDEBVRG Collegio *Hiſtoriæ Imperii Germanici* duce STRVVIO horam deſtinauit a IX - X.: Collegio *Iuris Publici* S. R. I. praeeunte MASCOVIO horam ab XI - XII. cetera ex valuis publicis tempeſtiue ſignificabit.

THEOD. CHRISTOPH. VRSINVS *publice* hora III - IV. præleget *philoſophiam primam*, quam vulgo *Metaphyſicam* adpellant, ad ductum theſium ſuarum: Anfangs-Gründe der Philoſophiſchen Wiſſenſchafften überhaupt; *priuatim* hora II - III. *Logicam* docebit præeunte Cl. BAVMEISTERO; hora IV - V. B. noſtri HEINECCII Elementa philoſophiæ *rationalis* & *moralis* coniunctim interpretabitur. Singulis *Saturni diebus* hora II - III. Exercitia diſputatoria continuabit.

IO. HENR. CALLENBERG Scholæ theologicæ varia addet *philologiæ* & *hiſtoriæ philoſophicæ* illuſtramenta; cupidis etiam percipiendæ *chaldaicæ* & *rabbinicæ* linguæ fructuoſam nauare operam ſtudebit.

IO. EHRENFRIED ZSCHACKWITZ, Prof. Philoſ. Ordin. Hor. 8. mat. *Geographiam* methodo Hiſtorico - Politica explicabit, Hor. II. pom. ex HEVMANNI Introductione Hiſtoria *Literaria* dilucidabitur, Initium fiet prout iam indicatum, & *Lectiones publicæ* quolibet die Saturni Hor. I. continuatæ apparebunt.

IOANNES FRIDERICVS STIEBRITZ, P. P. O. Deo volente, aperiet 1) ſcholas *Logicas*, præeunte illuſtri WOLFIO; 2) *Metaphyſicas*, ad ductum eiusdem Viri Philoſophi; 3) *curſus philoſophici*, intra ſemeſtris vnius ſpatium abſoluendi, celeb. GOTTSCHEDVM ſecuturus. Nec deerit iis, qui priuatiſſimis lectionibus, ſiue in philoſophicis, ſiue in philologicis, vti fruique volunt. Horæ cuiuis labori adſignandæ ſuo tempore ex tabula publica ſignificabuntur.

EXTRAORDINARIAE.

D. HENR. BASS *Mulierum affectus* continuabit publice d. mercur. & ſaturn. hor. X. Priuatim 1) *Chirurgiam Pathologicam* tradet hor. I. 2) *Collegium de Affectibus Venereis* cum Cautelis hor. X. & 3) *Collegium medico-legale* auſpicabitur hor. XI.

IVSTVS ISRAEL BEYERVS, *Phil. Prof.* consueto tempore lectiones suas autumnales inchoabit; & quidem *ante meridiem* ab h. VIIII. usque ad X. docebit *Oratoriam* duce celeberr. GOTTSCHEDIO; ab h. XI - XII. *epistolographiam* germanicam, ad elementa *Neukirchiana* directam. Et cum haecce ars conscribendi litteras plures ſemper habeat cultores, quam unius horulae dimenſum, propter perpetuum calami exercitium, ferre queat, *post meridiem* ab h. I - II. denuo collegium *epistolicum*, consueta ſibi methodo expediendum, redauspicabitur. Reliquum tempus *priuatissimis* Illustr. Generosiss. ac Nobiliss. Dnn. Commilitonum commodis, in elaborandis *carminibus* & *epistolis*, aliisque *ſcriptis*, ſacratum esto.

P. P. die XXIII. Sept. MDCCXLIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321614747-13

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321614747-13

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321614747-13

(7)

CONSPECTVS LABORVM

QVIBVS

PROFESSORES

ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI cIↃIↃCC XXXXIII.

OCCVPABVNTVR

PRO-RECTORE

MARTINO SCHMEIZELIO,

SACRAE REGIAE MAIESTATI BORVSSICAE A CONSILIIS AVLICIS IVRIS PVBLICI ET HISTORIARVM PROFESSORE ORDINARIO.

Halæ Magdeburgicæ, literis HENDELIANIS.